



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

Titulus XIII. Vir.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

hoc obtestor: ut sponsa Christi vinum fugiat pro veneno. Hæc adversus adolescentiam prima arma sunt dæmonum. Non sic avaricia quatit, inflat superbia, delectat ambitio. Facile alijs caremus vitijs; hic hostis nobis inclusus est. Quocumque pergimus, nobiscum portamus inimicum. Vinum, & adolescentia, duplex est incendi-um voluptatis. Quid oleum flammæ adjici-mus? quid ardenti corpusculo fomenta igni-um ministramus? S. Hieron. ep. 22. ad Eusto-chium.

Sicut aqua igni est adversa, sic vinum immodicum rationi. S. Basilius hom. 18. con-tra ebrietatem.

Vinum medicina optima est, quando com-ensurationem habet optimam. S. Chryso-st. hom. 1. ad pop.

Vinum datum est, ut delectemur; non ut dehonestemur: ut rideamus; non ut rideamur: ut valeamus; non ut ægrotemus. Idem hom. 71. ad pop.

Non ferventi ætati, quod est omnium humidorum calidissimum, vinum infunde-re convenit: perinde acsi quis in ignem derivet. - Hinc autem fit, ut mustum juventu-tis, fines pudoris transiliat. Clem. Alex. pæd. l. 2. c. 2.

Vinum à vi. Varro de lingua Latina.

## TITULUS XIII.

### VIR.

**S**edecim annorum erat Joseph, cum à fra-tribus venditus in Ægyptum relegatur. Gen. 37. 2. 28. Et tamen David de illo: *misit ante eos virum; in servum venun-datus est Joseph.* Ps. 104. 17. Adultera de eodem: *introduxit virum Hebræum, ut illuderet nobis.* Gen. 39. 14. Convicta id ex Josephi innocentia facebatur. Vir erat, qui juvenilibus illecebris non succumbebat. Men-doza in 1. Reg. 1. annot. 4.

*In sanctuario comedes illud: mares tantum edent ex eo.* Num. 18. 10. Ait Deus ad Aaron de sacrificio pro peccato.

*Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste fæmineâ.* Deut. 22. 5. Ar-bitror, quod non tam de vestibus, quam mo-ribus, dixerit. S. Ambros. ep. 15. ad Ire-nem.

*Vir unus.* 1. Reg. 1. 1. A virili constan-tia. Mendoza hic.

*Confortamini, & estote viri.* 1. Reg. 4. 9. Viri hoc locò nomen virtutis, non æta-

tis. Unde non omnes sunt viri, qui viden-tur. *Virum de mille unum reperi.* Eccl. 7. 29. *Vidit, quia non est vir.* Il. 59. 16. *Quarite in plateis ejus, an invenietis vi-rum.* Jerem. 5. 1.

*Accinge sicut vir lumbos tuos.* Job. 38. 3. Scriptura sacra Viros vocare consuevit; qui vias Domini fortibus, & non dissolutis, gressibus sequuntur. S. Gregor. mor. l. 28. c. 4.

*Discubuerunt viri numero quasi quinque millia.* Joan. 6. 10. De viris solum mentio-nem facit: ænigmaticè monens; omnibus, qui viriliter probitatem, ac fidem amplectun-tur, non imbecillibus, ac mollibus, cœle-stem à Salvatore cibum præberi. Nam, qui puerili animò, aut pueruli sunt, nihil magni cognoscere possunt. S. Cyrill. Alex. l. 3. in Jo-an. c. 16.

Imperatores nullam cohortationem ha-bent efficaciorum in prælijs, quàm: estote vi-ri. Philo lib. quod omnis probus sit liber.



TITU-